Nil ergo occultius in homine quam cor et renes. ideo dicit scriptura. Scrutans corda
et renes deus. Lumbis luxuria designatur. ut in euangelio dominus. Sint lumbi uestri
praecincti. Et in libro iob. Accinge sicut uir lumbos tuos. id est ut qui prius luxu-
riam corruptionis uiceras. per modum luxuriam elationis uincas. Ossa.
firmitas animae. ut in psalmo. Omnia ossa mea dicent domine quis similis tibi. Et in ma-
la parte. ut in libro iob. Ossa eius uelut fistulae eris. quae significant fraudu-
lenta consilia ministrorum antichristi et principum malorum. de quibus psalmista.
Deus dissipabit ossa eorum qui hominibus placent. Cartilago. quae ossis speciem habet. sed ossis for-
titudinem non habet. significat ad perpetranda mala quoslibet debiliores. Adeps.
pinguedo est diuinae gratiae. uel supernae satietas sapientiae. ut in psalmo. Sicut
adipe et pin. re. a. mea. In mala parte significans crassitudinem malitiae.
ut psalmista. Adipem suum concluserunt. Medullae quae interiores sunt ipsis ossibus.
et nichil interius medullis nostris habemus. exprimunt in nobis infusionem ca-
ritatis. deuotionis et compunctionis. Hinc psalmista. Holocausta me-
dullata offeram tibi. id est caritate ac beniuolentia inpinguata. Pellis. signum
mortalitatis. ut in genesi. Fecit eis deus tunicas pellicias. Cutis. significat
illos qui solis exterioribus intenti. interius marcescunt. Pili sunt uitae ueteris co-
gitationes. quas sic a mente incidimus. ut de amissione eorum nullo dolore
fatigemur. Unde per moysen praecipitur. ut leuitae radant omnes pilos carnis
suae. quia is qui in obsequiis diuinis assumitur. debet ante deum oculos a cunctis
carnis cogitationibus mundus apparere. ne illicitas cogitationes
mens proferat. et pulchram animae speciem quasi pilis fructificantibus defor-
mem reddat. Caro in sancta scriptura aliter dicitur iuxta naturam. atque aliter
iuxta culpam. uel corruptionem. Iuxta naturam. ut scriptum est. Hoc nunc
os ex ossibus meis. et caro de carne mea. Et ibi. Verbum caro factum est. et
habitauit in nobis. Unde et apostolus discipulis. Uos autem non estis in carne. sed in spiritu.
Neque enim in carne non erant. quibus epistolas mittebat. sed quia passiones
carnalium desideriorum uicerant. ideo in carne non erant. Caro uero iux-
ta culpam. ut scriptum est. Non permanebit spiritus meus in hominibus istis. quia ca-
ro sunt. Hinc et apostolus. Caro et sanguis regnum dei non possidebunt. id est cor-
ruptio et peccatum. Nam utique secundum eiusdem apostoli fidem caro ista resur-
get. et ipsa merebitur incorruptionem. dicente ipso. Oportet cor-
ruptibile hoc induere incorruptionem. et mortale hoc induere
inmortalitatem. Sanguinis nomine intelligitur in bonam partem. ut

License: CC-BY-NC – Engelberg, Stiftsbibliothek, Cod. 49, f. f.%2098v – Sancti Hieronymi Hebraicarum Quaestiones (http://www.e-codices.ch/en/bke/0049/f.%2098v)